

iudicio Dei nos iustos reddat, scriptura sacra negat: „Non intres in iudicium cum seruo tuo“⁴⁶ et Daniel: „Exaudi me non propter meam iustitiam“.⁴⁷

Ibid.: „Cum igitur homo plenam iustitiae inhaerentis perfectionem“⁴⁸ etc.

Hic clare patet librum non de iustitia Christi, quam dissimulat, sed de iustitia nostra scilicet habituali ex bonis operibus loqui. Nam iustitia Christi seu imputata nobis iustitia Dei propter Christum est omnino perfecta imo perfectissima. Nostra vero oboedientia et iustitia, quae proueniens ex oboedientia coram hominibus, aliquod valeat, imperfecta est et propter inhaerentem nobis concupiscentiam immunda nec non interdum extincta. Tantum abest, ut inhaerens seu formalis esse aut vocari possit. Porro per hoc, quod derogat iustitiae inhae-[88:]renti plenam in hac vita perfectionem, cogitur id fateri, quod sit diminuta et imperfecta et per consequens non iustificet nec saluet nos in conspectu Dei.

Ibid.: „nobis in hac etiam parte benignissime succurrit“⁴⁹

Liber videtur hoc velle dicere, quod Christus primum inchoet tantum nostram salutem, deinde iubeamur nos eam operari, postremo, quod Christus velit supplere et resarcire id, quod deest nobis. Si sic se res habet, tunc fit Christus nobis tandem ociosus, quia quantum habemus de nostra iustitia tanto minus opus habemus iustitia Christi, et quantum ex nostra nobis accedit, tantum ex iustitia imputatiua nobis discedit, secundum sententiam libri. Vbi ergo manet confessio Danielis: „Tibi, domine, gloria, nobis autem confusio faciei nostrae“⁵⁰ Vbi vox Dei in Psalmo: „Salus tua ego sum“⁵¹ et in Hoseae XIII: „Perditio tua ex te, Israel“⁵² Vbi denique vox Christi in cruce manet: „Consummatum est“⁵³ Igitur Iesus Christus totus et solus nostra salus in omnibus causis, ut nulla sit partialis nostrae salutis causa in nobis.

Folio 4: „Impetrat homini indulgentiam“⁵⁴

Augustini sententiam⁵⁵ torquet ad suam opinionem, hanc nimirum, quod Christus ibi tantum succurrat, ubi homo perfecte suam salutem operari nequeat, cum nihil aliud dicat Augustinus quam diuus Paulus Rom. VIII:

⁴⁶ Ps 143,2.

⁴⁷ Vgl. Dan 9,18.

⁴⁸ Augsburgur Interim IV, 45; Augsburgur Interim (Ulhart), B 3v.

⁴⁹ Augsburgur Interim IV, 45; Augsburgur Interim (Ulhart), B 3v.

⁵⁰ Dan 9,7 (Vulg.).

⁵¹ Ps 35,3.

⁵² Hos 13,9.

⁵³ Joh 19,30.

⁵⁴ Augsburgur Interim IV, 47; Augsburgur Interim (Ulhart), B 3v.

⁵⁵ Vgl. das im Augsburgur Interim IV, 47, angeführte Zitat aus: Augustin, Contra Faustum XIX, 7, in: PL 42, 352 (CSEL 25/1, 505,12–21).